

EPISTULA LEONINA

XXXIX

**PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM UNDEQUADRAGESIMAM !

ARGUMENTUM

FABELLA VILELMI HAUFF – PARS ALTERA: **KALIF STORCH** (in Latinum convertit Wilhelm Hundsrucker, pars prima inest EL XXXV!). – **DUAE RATTORUM CANTILENAE GOETHEANAE IN LATINUM CONVERSAE.**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam undequadragesimam.

Huic Epistulae inest altera pars symbolae Vilelmi Hundsrucker emeriti directoris studiorum superioris gymnasii Saldenburgensis. Haec symbola, cuius partem primam iam legisti in Epistulā Leoninā tricesimā quintā (XXXV), est illustris fabella Vilelmi Hauff a Vilelmo Hundsrucker in Latinum conversa. Brevis tantum est haec Epistula Leonina, sed magnae capacitatis electronicae, quia imaginibus ab interprete additis multa requiruntur «bytes», i.e. unitates conditoriae.

Subiunxi versiones duorum canticorum Goetheanorum a me confectas. Utinam Tibi placeant haec opuscula Musae levioris. Nam, ut Horatius ait, »Dulce est desipere in loco«.

Cara Lectrix, care Lector, hac Epistulā Leoninā helluare et pancraticē vale et perge nobis favere!

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

d.Veneris, 27.^o m.Augusti, a.2010

KALIF STORCH

fabella

a Vilelmo Hauff theodisce scripta


a Vilelmo Hundsrucker in Latinum conversa

PARS ALTERA (pars prima inest Epistulae XXXV!)



ECCE PITTACIUM EPISTULARE IN MEMORIAM VILELMI HAUFF EDITUM

...homines mutemur! Debemus ter nos in orientem vertere et ‘mutabor’ dicere; tum ego in chalifam rursus mutabor, tu autem in vasirum. Sed severissimē vetitum est ridêre. Nam si ridemus, nos ipsos perdemus”. Chalifa haec verba dicens aliam ciconiam supra caput volantem et tardē ad terram delabentem vidit. Capsâ pulveris plenâ celeriter e cingulo extractâ non parvam copiam pulveris hausit et capsam vasiro porrexit, qui etiam pulverem sumpsit. Tum uterque clamavit: ”Mutabor!”



Tum crura contracta tenuia rubraque facta sunt; pulchrae soleae flavae chalifae comitisque in informes ciconiarum pedes mutatae sunt, bracchia in alas; collum ex pectore in altitudinem cubitalem excrevit; barba amissa est, corpus pennis levibus opertum est. “Te rostrum pulchrum decorat, domine vasire!”, chalifa diu stupens dixit. “Per barbam prophetae, talem rem in vitâ meâ nondum vidi!” “Multas gratias ago”, vasirus respondit caput summittens, “sed contendam, si liceat, principem venerabilem in ciconiam mutatum paene magis conspicuum esse quam

chalifam. Te assentiente eamus ad ciconias, ut novos consodales nostros audiamus et cognoscamus, num re verâ intellegamus sermonem ciconînum!”

Interea altera ciconia, postquam ad terram devénit, rostro pedes purgavit et pennas ordinavit et adiit ad primam ciconiam. Duo novi ciconiae appropinquantes stupefacti hoc colloquium audiverunt: “Opto tibi bonum mâne, Domina Longipes! Tune matutino iam tempore in prato versaris?” “Multas gratias, glottorator! Prandiolum sumpsi. Vin’ delibare frustulum lacertae vel ranae crusculum?” “Multas gratias! At hodie non esurio. Vêni in pratum aliâ causâ. Mihi hodie coram convivis patris saltandum est. Quamobrem in secreto paulum corpus exercebo.” Statim ciconia puellaris se miro modo movens vertensque per campum gradiebatur. Chalifa Mansorque admiratione pleni eam aspiciebant. Cum autem tamquam picta pennas more vetusto movens uno pede staret, duo viri in ciconias mutati animum suum non iam coercuérunt: risus effrenatus ex rostris erûpit et diu finiri non poterat. Chalifa primus animo coercito: “Hoc erat”, inquit, “gaudium cum auro non aequiperabile! Doleo animalia stulta risu nostro fugata esse; alioquin ciconiae certê etiam cantavissent”. Nunc autem vasiro in mentem vénit sibi mutatis risum interdictum esse. Itaque chalifam de suo timore certiore fecit. „Per Meccam et Medinam! Ridendum non esse, nisi necesse esset me ciconiam esse mansurumque. Memorare verbi magici, quia ego eius immemor sum!”



“Nobis caput ter ad orientem inclinandum et dicendum est: ‘Mu – Mu – Mu –’”

Ad orientem conversi semper semperque caput demittebant, ut paene rostra terram attingerent. Sed, heu miseros, verbi magici obliti erant, et quotienscumque chalifa se inclinabat vasirusque desiderans exclamabat “Mu - Mu - Mu -”, omnis memoria verbi exstincta erat, et Chasidius miser vasirusque eius erant

ciconiae et manebant.


Fascinati per campos maesti gradiebantur, nescientes, quid in tantâ miseriâ facerent. Neque enim poterant formam rursus mutare neque in urbem revolare, ut cives se cognoscerent, quia nemo ciconiae credidisset eam chalifam esse; etiam si creditum esset, non constat futurum fuisse, ut Bagdetienses chalifam vellent chalifam habere ciconiam.

Quam ob rem per complures dies ambientes miserrimê vescebantur fructibus praediorum, quos propter rostra longa vix edere poterant. Lacertas ranasve non degluttiebant, cum timerent, ne talibus frustulis delicatis ventrem nimis onerarent. Hac in miseriâ iis nihil gaudio erat nisi facultas volandi. Itaque saepe in tecta Bagdetiensia volabant visuri, quid ibi fieret. Primis diebus magnum tumultum maeroremque in viis sentiebant; sed cum circa tres dies post mutationem praeteriti essent, in tecto palatii chalifae sedentes subter in viâ apparatum magnificum spectaverunt: tympana fistulaeque sonabant, vir coccineo amiculo auripicto vestitus in equo ornato sedebat, circumdatus servis splendidis;

magna turba Bagdetiensium sequens exclamabat:

“Ave, Mizra! Ave, princeps

Bagdetiae!” Tum ambo ciconiae in tecto palatii sedentes unum alterum aspexerunt et chalifa dixit: „Tibine nunc in mentem venit,



(TERTIA PARS SEQUETUR !)

Titulus originalis: „Die Geschichte von Kalif Storch“

Theodiscê scripsit



Wilhelm Hauff (1802-27)

In Latinum convertit picturisque ornavit

Wilhelm Hundsrucker
Director studiorum superior emeritus

Saldenburgensis

Versionem Latinam retractavit

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

Duae Rattorum Cantilenae Goetheanae

DER RATTENFÄNGER	CAPTOR RATTORUM
<p><i>Ich bin der wohlbekannte Sänger,/</i> <i>Der vielgereiste Rattenfänger,/</i> <i>Den diese altberühmte Stadt/</i> <i>Gewiß besonders nötig hat./</i> <i>Und wären's Ratten noch so viele,/</i> <i> Und wären Wiesel mit im Spiele;/</i> <i>Von allen säubr ich diesen Ort,/</i> <i>Sie müssen miteinander fort./</i> <i>Der Rattenfänger,/</i> <i>Der Wohlbekannte,/</i> <i>Der Vielgereiste,/</i> <i>Der Altberühmte,/</i> <i>ein Kinderfänger,/</i> <i>Der Gutgelaunte,/</i> <i>Ein toller Sänger: Der</i> <i>Rattenfänger! /</i> <i>Dann ist der gutgelaunte Sänger/</i> <i>Mitunter auch ein Kinderfänger,/</i> <i>Der selbst die wildesten bezwingt,/</i> <i>wenn er die goldenen Märchen</i> <i>singt./</i> <i>Und wären Knaben noch so</i> <i>trutzig,/</i> <i>Und wären Mädchen noch so</i> <i>stutzig,/</i> <i>In meine Saiten greif ich ein,/</i> <i>Sie müssen alle hinterdrein./</i> <i>Der Rattenfänger,/</i> <i>Der Wohlbekannte,/</i> <i>Der Vielgereiste,/</i> <i>Der Altberühmte,/</i> <i>ein Kinderfänger,/</i> <i>Der Gutgelaunte,/</i> <i>Ein toller Sänger:/</i> <i>Der Rattenfänger!</i></p>	<p><i>Sum notissimus cantator,/</i> <i>ratticeps peregrinator,/</i> <i>quo urbs clara et vetusta/</i> <i>certo eget maximē onusta./</i> <i>De quotquot rattis sint querelae,/</i> <i>adsint et ipsissimae mustelae/</i> <i>istos omnes nunc fugabo/</i> <i>ex Hamelae portis agitabo./</i> <i>Ratticaptor/</i> <i>sum famosus/</i> <i>peregrinator/</i> <i>clarus et annosus/</i> <i>captor sum infantium/</i> <i>hilaris/</i> <i>canto furiosê,</i> <i>rattos capio dolosê! /</i> <i>Laetas canto cantilenulas/</i> <i>capto pueros, puellulas,/</i> <i>quas domare scio vel ferissimas,/</i> <i>nam fabellas cano lepidissimas./</i> <i>Puellae licet stupeant/</i> <i>licet pueri resistant/</i> <i>fides mea faciat/</i> <i>ut omnis mecum abeat./</i> <i>Ratticaptor/</i> <i>sum famosus/</i> <i>peregrinator/</i> <i>clarus et annosus/</i> <i>captor sum infantium/</i> <i>hilaris/</i> <i>canto furiosê/</i> <i>rattos capio dolosê! /</i></p>

<p>Brander („Auerbachs Keller“, Faust I, 2126-49):</p>	<p>Brander („Hypogaeum Auerbachii“, Faustus I, 2126-49)</p>
<p><i>Es war eine Ratt' im Kellernest,/ Lebte nur von Fett und Butter,/ Hatte sich ein Ränzlein angemäst't,/ Als wie der Doktor Luther./ Die Köchin hatt' ihr Gift gestellt;/ da ward's so eng ihr in der Welt,/ Als hätte sie Lieb' im Leibe. (Chorus: Als hätte sie Lieb' im Leibe)/</i></p>	<p>Rattus olim infuit nido hypoei/ abundavit cibis pinguibus/ quibus tantae fuit crassitie/ quantae fuit Lutherus./ Coqua autem ratto dedit vîrus pessimum/ totum mundum ut videret angustissimum/ quasi fureret amore! (Chorus: quasi fureret amore).</p>
<p><i>Sie fuhr herum, sie fuhr heraus,/ Und soff aus allen Pfützen,/ Zernagt', zerkratzt' das ganze Haus,/ wollte nichts ihr Wüten nützen;/ Sie tät gar manchen Ängstesprung,/ Bald hatte das arme Tier genung,/ Als hätt' es Lieb' im Leibe. (Chorus. Als hätt' es Lieb' im Leibe.)/</i></p>	<p><i>Nunc incurrit rattus hunc et illum loculum,/ omnes aquas haurit ore,/ rodit atque morsicat totum habitaculum/ at vae! nil efficit furore:/ saltabat anxiê, celerrimê/ mox iam confecta est miserrimê,/ quasi fureret amore. (Chorus: quasi fureret amore.)/</i></p>
<p><i>Sie kam für Angst am hellen Tag/ Der Küche zugelaufen,/ Fiel an den Herd und zuckt und lag,/ Und tät erbärmlich schnaufen./ Da lachte die Vergifterin noch:/ Ha! Sie pfeift auf dem letzten Loch,/ Als hätte sie Lieb im Leibe. (Chorus: Als hätte sie Lieb' im Leibe.)</i></p>	<p><i>Die lucido ad mortem est paratus/ incursat in culinam rapidê,/ ad focum cadit, micat, est prostratus/ anhêlat iam aegerrimê./ Tum risit "ha!" venefica,/ "quiritavit horâ ultimâ,/ quasi fureret amore (Chorus: quasi fureret amore).</i></p>

Theodiscê poetatus est
JOHANN WOLFGANG VON GOETHE
 In Latinum convertit
NICOLAUS GROSS

**HANC EPISTULAM LEONINAM UNDEQUADRAGESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

d.Veneris, 27.^o m.Augusti, a.2010

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>